Salve plurimum mi patrue patris instar observande

Esset de quo tibi ac mihi gratularer et gratias Deo agerem, si te prospera valetudine adhuc uti audirem. Nos gratia Deo optime valemus: sed non Hagæ: in Zelandiam cum matre concessimus, verram scilicet. Ubi appulimus octavo Julij circa vesperam, postquam pridie tertiâ pomeridianâ Hagâ discesseramus, suscepti in ædes avunculi, consulis, Jacobi Campe. Cæterùm verrà non omnino otiosi sumus, pergimus strenuè in studijs nostris, imprimis in colloquijs Erasmi, et in Janua Linguarum, quæ in

237)

© Koninklijke Bibliotheek
1900 A 235, nr. 43
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0539

linguam vernaculam vertimus, versa secundùm
regulas grammaticæ resolvimus, phrases et sen=
tentias notabiliores excerpimus, easque memoriæ man=
damus: incudiores historias ad mensam recitamus,
et quidem alternatim, modò Latino modò Gallico
sermone: themata quotidie scribimus, distichon
unum atque alterum ex Catone, vocabula
ex Junio, verborum formationes ex Grammatica
Vossij, (ad cuius partem ultimam, absolutis tribus
prioribus, me iam accingo) fundamenta religio=
nis ex catechesi gallica, et quod ultimum est,
sermonem latinum ex assidua præceptoris mo=
nela, loquere latinè, addiscimus. Hæc, mi

© Koninklijke Bibliotheek
1900 A 235, nr. 43
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0539

patrue, est militia nostra, quam in Musarum castris, quæ verè iam metati sumus, militamus: in qua si quædam aliter disponenda, quædam omittenda, alia verò addenda iudicaveris, ea, sat scio, patruus tuus affectus mihi lubentissimè communicabit. Hisce te protectioni Divinæ, meque patruo tuo, verè paterno amori ac favori, quàm possum diligentissimè, commendo. Salutante avunculi mei Iacobus et Petrus Campe, mater, soror, frater Mauritius, et iuxta cum his ego, ac præceptor meus Iohannes Lampe impensissimè. Dabam veriæ, 13. Julij.

Domini patrui observantissimus nepos
Christianus Huygens.

ao, 1645.

© Koninklijke Bibliotheek
1900 A 235, nr. 43
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0539

A monsieur
Mons. De Sulichem
Secretaire De son
Altesse, le Prince D'orange
port. A l'Armee.

© Koninklijke Bibliotheek
1900 A 235, nr. 43
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0539